



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

48. An Pontifex possit in aliquo casu facultatem præbere, ut plures Sacerdotes simul conficiant Eucharistiam? Et dubium est quomodo id licitè possit fieri? Et deciditur, quam intentionem habere ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

specie: ergo quævis sufficit ad integrum Sacramentum, & sacrificium.

13. *Delari.* Legitur ab Innocentio VIII. dispensatum fuisse cum Moruegis anno 1490. ut referat Volaterranus lib. 7. c. 4. cuius gratia docet, legationem eò missam fuisse.

14. *Novo.* Quoniam, ut definit Trident. sess. 21. c. 2. est in Ecclesia potestas, ut saluâ Sacramentorum substantiâ, statuat, vel mutet, quæ suscipientium utilitati, & Sacramentorum venerationi procerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicauerit: ergo urgente graui, & publica necessitate, potest in hoc dispensare.

15. *Decimo.* Potest in aliis iuribus diuinis dispensare, ut in voto solemnî, in matrimonio rato & non consummato, in residentia personali Pastoris, in ministro Confirmationis & Ordinistergo etiam in hoc.

16. Et licet ad omnia hæc argumenta responsiones adhibeat Amicus *ubi infra*, tamen ipse contrariam sententiam probabilem putat.

Sup. hoc in Ref. 1. not. præteritæ, cursum in fine §. 1. verß. Neque cum dispensatione, & in Ref. 2. §. 2. ad mediũ, verß. Tum quia graues.

17. Vnde ex his diuersis opinionibus patet resolutio ad quæstionem propositam; nam Sotus, Vasquez, & Coninck, quos citat, & sequitur Hurtadus de *sacris Missæ, disp. 1. diff. 9.* docent Romanum Pontificem non posse in præcepto diuino consecrandi simul utramque speciem dispensare: vnde falsum putant Innocentium VII. in dicto præcepto dispensare. Et ita hanc sententiam mordicus, & doctè sustinet Card. de Lugo de *sac. Euch. disp. 19. sect. 8. per totam.*

18. Sed ego satis contrariam sententiam probabilem esse puto, quam ut talem admittit etiam Amicus in *curß. Theolog. tom. 7. disp. 16. sect. 9. numer. 158.* vbi sic ait: Probabile est posse in hoc iure, ob publicam dumtaxat utilitatem, à Summo Pontifice, per iuris interpretationem dispensari: probabilius tamen est, nec ob publicam utilitatem id posse. Prioris partis fundamentum est auctoritas tot Doctorum, & rationes quæ hanc opinionem reddunt practicè probabilem. Ita ille; cui adde Castrum Primum *tom. 1. disputat. 6. punct. 3. num. 6.* vbi docet probabilem esse, posse auctoritatem Pontificis in vna tantum specie sacrificium offerri, urgente, graui, & communi bono alicuius Prouinciæ; sed tunc Pontifex non dispensabit in iure diuino, sed declarabit doctrinaliter ad illum casum non se extendere. Pro quo supponendum est in hac sententia offerri sacrificium ex iure diuino esse: at quòd sit in vtraque specie, non esse per se ex iure diuino, sed ex iure naturali distan- te, si offeratur sacrificium Deo, integrum, & perfectum esse offerendum. Cum ergo Pontifex permitteret in aliqua Prouincia sacrificium in vna specie offerri; declarat vtrique præceptum naturale sacrificandi integrè ad illum casum non se extendere. Sic Suarez lib. 10. cap. 6. *fine*, vbi aduertit hanc declarationem fieri non posse ab alio præter Romanum Pontificem, quia est res grauissima, & satis dubia. Hæc Palaus.

19. Imò Fagundez de *præcept. Eccles. præcept. 2. lib. 3. c. 5. n. 5.* putat sententiam asserentem posse Pontificem in tali casu dispensare, esse probabilem. Vide illum, & non pigebit.

RESOL. XLVIII.

An Pontifex possit in aliquo casu facultatem præbere, ut plures Sacerdotes simul consiciant Eucharistiam.

Et dubium est, quomodo id licitè possit fieri.

Et deciditur, quam intentionem debeant habere Sacerdotes nouer ordinati, quando cum Episcopo in Missarum solemnibus confitebantur.

Et notatur, quod Episcopus, qui consecratur, celebrat cum Episcopo consecrante, & olim Presbyteri Cardinales simul cum Pontifice concelebrare consueverunt.

Et an in Ecclesia Græca soleat alius Sacerdos simul cum Episcopo celebrare: Ex part. 8. tract. 1. Ref. 44.

§. 1. Respondo affirmatiuè, quod patet ex consuetudine recepta, & à Summis Pontificibus approbata Latinarum Ecclesiarum, quæ Sacerdotes recens ordinati, solent verba consecrationis simul cum Episcopo celebrante proferre, idque super eandem materiam. Cum enim Ecclesia in re tanti momenti errare non possit; hinc manifestum est, plures simul Sacerdotes eandem materiam valide consecrare posse.

2. Dubium est autem non leue, quomodo id licitè possit fieri; Et ratio dubitationis est, quia moraliter loquendo, impossibile est, ut plures Sacerdotes formam consecrationis eodem instanti absoluant, quare semper euenit in dicto casu, ut materia tantum ab vno consecratur, nimirum ab illo, qui prius formam absoluit. Vnde vterius sequitur, alios nihil efficere, & verba consecrationis proferre super materiam consecratam, quod sacrilegium reddet. Imò sæpè contingere potest, ut ipse Episcopus celebrans non consecret, si nimirum aliquis ex ordinatis prius formam perficiat: hoc autem magnum est inconueniens, quia celebrans tunc non sacrificat.

3. Respondeo, ad cauenda prædicta incommoda, Sacerdotes recens ordinatos debere habere intentionem consecrandi, non absolutam, sed conditionatam; si nimirum verba simul cum Episcopo absoluant, aliàs non. Vnde enim sit Episcopus, qui est principalis minister, semper consecrare, siue alij consecrent, siue non; & consecratione peracta, si aliquorum verba nondum peracta sunt, ea non nisi materialiter proferri super materiam consecratam: quæ cautela magis vitatur periculum sacrilegij, aut irreuerentiæ, quam si formaliter, & cum intentione consecrandi recitarentur.

4. Neque dicas fieri non posse, ut idem simul proferat verba consecrationis, & materialiter, ita ut non sufficiant. Oppositum enim manifestè colligitur ex Baptismo sub conditione collato: nam si infans est baptizatus, verba proferuntur tantum materialiter, siue animo baptizandi: si verò non est baptizatus, proferuntur formaliter, & cum intentione cum baptizandi. Quis autem neget Baptismum eo modo valide, imò & interdum licitè conferri: Quia tamen plerumque contingit, ut ordinati prædictas intentiones accuratè distinguere nesciant, optimum erit consilium quoad praxim, ut quilibet ordinatus habeat intentionem generalem proferendi verba consecrationis iuxta sensum, & mentem Ecclesiæ; quæcumque illa sit.

5. Nota etiam quòd Episcopus qui consecratur, celebret cum Episcopo consecrante: & olim Presbyteri Cardinales simul cum Pontifice concelebrare solebant, ut testatur Innocentius lib. 3. de *miss. Missæ cap. 19.* quæ tamen consuetudinem suo tempore non extalle refert Durandus in 4. dist. 13. q. 3. num. 4. Et in Ecclesia Græca solet alius Sacerdos simul cum Episcopo celebrare. Et licet Durandus *ubi supra*, videns moralem impossibilitatem, ut omnes qui verba proferunt, reuera consecrent, non

Sup. doctrina contenta in hac Ref. in tom. 2. tr. 5. Ref. 10. & lege alias Ref. eius not. & latè in Refol. annot. seq. per totam.

Sup. hoc in tom. 4. tr. 8. Ref. 89.

Sup. hoc in §. vi. Ref. not. seq.

non laudat hanc consuetudinem, qua plures Sacerdotes verba proferant; sed tanquam periculosam censet magis esse abolendam, quam retinendam. Gabriel etiam in *lect. 6. in Canon. Sotus in 9. dist. 13. quaest. 1. art. 2. & Angelus verb. Eucharistia 2. n. 3.* non multum eam approbant. Moraliter enim cultari non potest, quin aliqui verba proferant suam materiam iam consecratam: quod per se inane & sacrilegum est. Et eo magis absurdum est, si alius Sacerdos verba absoluat ante Episcopum principaliter celebrantem, & sic Episcopus ipse non consecrat. Accedit, quod Sacerdotes nouiter ordinati, non communicant de calice consecrato: sed tamen qui celebrant, debent in vtraque specie communicare. At tamen hac Durandi censura tanquam temeraria merito ab aliis pluribus reprehenditur. Cum non solum in quibusdam particulis Ecclesiis, sed in sola Romana & vniuersali, illa consuetudo seruata, & retenta sit. Atque in Romano Pontificali, tum veteri, tum nouo praecipua, & ab omnibus Episcopis ordinantibus vbiq; seruanda proponitur.

6. Et ideo hanc consuetudinem approbant, & inueniunt communiter Doctores, & inter illos, notissimus Pater Auerfa de *sacram. Euchar. 2. to. sect. 2.* qui post varias sententias adductas, tandem ipse putat dicequum, singulos Sacerdotes celebrantes, debere verba proferre, formaliter quidem cum intentione consecrandi, si contingat ea simul cum Episcopo complere, aut si Episcopus formam, vel intentionem peruerteret; secus autem non consecrandi, sed materialiter tantum recitandi, si post, vel antea compleant. Hoc etiam videtur maxime conformare Rituali ipsi, & Pontificali Romano. Ideo enim serio admonentur Sacerdotes, vt studeant simul cum Episcopo verba proferre; quae admonitio debet etiam ad intentionem accommodari, vt intendant consecrare simul cura Episcopo, & non aliter.

7. Sic ergo redditur licita, & laudabilis haec consuetudo. Ac vitantur inconuenientia in aliis modis allata. Non enim malum, aut sacrilegum est, verba materialiter, & recitatioe proferri super materiam consecratam, vel consecrandam, quando id non fit cum deceptione eorum qui expectant fieri Sacramentum, vel cum iniuria ipsius Sacramenti. Sed pius, & laudabile est in praesenti casu, dum fit cum debita reuerentia, & ad seruandum Ecclesiae ritum. Neque necesse est, Sacerdotes nouiter ordinatos, etiam si contingat, vt simul cum Episcopo verba compleant, atque adeo veros consecrent, communicare etiam de calice ad consummandum sacrificium, quia satis est, Episcopum ita communicare, & consummare: & ad summum si Episcopus deficeret, deberet aliquis alius ex peculiari debito eius celebrationis id perficere. Dicuntur deum alij Sacerdotes cancellare cum Episcopo ordinante: quia & omnia recitant, & debent etiam formaliter intendere consecrare, si iunctim cum Episcopo verba compleant.

8. Subdit vero Auerfa, quia communes Clerici non sunt de his Theologicis subtilitatibus instructi: & quia variae opiniones de hac re extant, approbandum est consilium Galetani dicentis, hos nouiter in sacerdotium ordinatos, non oportere habere intentionem determinatam consecrandi, vel determinatam non consecrandi; sed posse habere indefinitam intentionem debitam: hoc est, proponat apud se: Intendo dicere cum ea intentione qua deo dicere, sic enim inquit, tutissima via omnes ordinati incedunt. Similiter Layman. *lib. 5. Moral. Theolog. tract. 2. cap. 7. num. 2. & Diana part. 3. Tom. 111.*

tract. 4. resol. 50. notant, vt nouiter ordinati habeant intentionem proferendi verba secundum voluntatem Ecclesiae. Et idem est si dicatur, vt intendant proferre meliori modo & via qua fieri conueniat. Ita Auerfa, & iterum ego. Vide Hurtadum de *Sacram. Euchar. dist. 11. diff. 2. Praepositum in 3. part.*

Que hic est in tom. 2. tr. 5. Res. 20.

RESOL. XLIX.

An Pontifex potuerit prohibere, ne laici sumant communionem sub vtraque specie.

Et an iure diuino praecepta sit communicatio sub vtraque specie? & an qui sub vna sola specie communicat, impleat praeceptum, quo dicitur: Nisi manducaueritis carnem filij hominis; & biberitis eius sanguinem, &c.

Et notatur, quod hodie Cardinalis Diaconus ministrans summo Pontifici communicat sub vtraque specie: & similiter Rex Francia in sua inauguratione.

Et tandem quaeritur, an aliquando sit licitum laico sanguinem sumere? Ex part. 8. tract. 1. Res. 24.

§. 1. **R**espondeo quod sub annum 1412 Petrus Presbiterus, & Iacobellus Milnensis in Bohemia docuerunt, iure diuino praeceptam esse communionem sub vtraque specie, & proinde Romanam Ecclesiam iniuste laicis negare usum calicis, vt videre est apud Aeneam Syluum in *historia Bohemorum, cap. 35.* hos secuti sunt haeretici nostri temporis, nam quamuis Lutherus fuerit varius, tamen censuit vtriusque speciei sumptionem etiam laicis esse necessariam, vt refert Bellar. *lib. 4. de Eucharistia, c. 20.* idem censet Calvinus, & alij, eodem Bellarm. teste.

2. Sed omnino dicendum est, quod laicis, & Sacerdotibus non celebrantibus, communicatio sub vtraque specie non est praecepta iure diuino. Ratio prima; Christus Dominus sumeque vnam speciem, promittit vitam aeternam, vt: *Si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in aeternum.* Ratio secunda; Conc. Constant. *sess. 13.*, & Trident. *21. sess. can. 1.* sub poena excommunicationis prohibent, ne Sacerdotes audeant quemquam ex populo communicare sub vtraque specie. Ratio tertia; Licet ex gentibus conuersi Christiani de calice communicarent, id ideo factum est, quia assueti erant bibere de libaminibus Idolorum; sed hic mos postea abolitus. Ratio quarta; *Act. 2.* dicitur, quod erant perseverantes in fractione panis; fractio autem panis significat distributionem Corporis Domini. Ratio quinta; Moris antiquissimi fuit in Ecclesia seruare corpus Domini sub sola specie panis propter infirmos. Ratio sexta; Osm viris dabatur Eucharistia in manu, mulieribus autem in nitidis linteaminis, quae Dominicales vocabantur, vt refert *can. 3.* Concilij Altifidor. Vnaqueque mulier, quando communicat, Domini calem suam habeat, quod si non habuerit, vsque in alium diem Dominicum non communicet. Idem corpus Domini cum tempore persecutionis dabatur Christianis, vt domum deferrent, & quando commodum esset, vt tunc sumerent. Sed calicis nulla fit mentio. Ergo antiquitus Christiani contenti erant communionem sub vna specie panis.

3. Sed obiicies. Qui sub vna solum specie communicat, non implet praeceptum, in quo dicitur: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

F 3 Respond.